tur, id quod in libris Symbolicis, quæ utplurimum thetici magis sunt, quam antithetici, fieri non potuit. Tradunt itaque, appropriata contra adversariorum periculosa & damnosa venena, remedia, & simul multum lucis ipsismet libris Symbolicis accendunt, remque ibi succincte propositam luculentius exponunt. Faciat aliquis periculum vel in sola Apologia F. C. & vere experietur, quod ea, quæ hodierni Calviniani recoqvunt, in eadem solide sint refutata. Atque ita similiter sentiendum quoque de reliquis ordinis hujus libris est.

X.

Et cum hodie *Articuli Visitationis* Missnicæ corpori Librorum Symbolicorum plerumque annecti soleant, quod Editiones Lipsienses confirmant, juniores ex ea annexione non statim debent concludere, quod ideo Ecclesiæ nostræ vi talium editionum eosdem articulos pro talibus agnoscant, quæ æqualis autoritatis simul cum Aug. Confessione, ceterisque libris, qui sub nomine *Libri* aut *Formulæ Concordiæ* ab Ecclesia nostra editi, & pro talibus æstimati sunt. Illa enim annexio facta potissimum est propter discentes, ex quibus alii Ecclesiarum, alii Scholarum Ministri evadunt. Utrorumque autem interest, ne eosdem libros ignorent. Posteriores enim, quando a Consistoriis confirmandi sunt, oportet iisdem subscribere, & quod hi recte vereque subscripserint, oportet priores nosse, ne in scholas intrudantur falsi in doctrina & religione. Accedit, quod hi ipsi libri Pastoribus insignem præbeant usum, si volunt cognoscere veram & nativam Religionis Calvinianæ indolem. Habent enim in iisdem Ar-